



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XXIV. De Libro sexto Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

CAPUT XXIV.

De Libro sexto Decretalium,
Clementinis & Extravagan-
tibus.

*Quis & ex quibus compilarit Librum
sextum; Quomodo dividatur & cite-
tur. Unde dicta, & ex quibus collecta
Clementina. Quomodo dividantur &
citentur. Extravagantes cur sic dicantur.
Quas contineant Constitutiones Li-
bri Extravagantium; Quomodo ci-
tentur. An faciant fidem in
judiciis.*

I.

Tertia pars Juris Canonici continet
Librum sextum Decretalium, sic di-
ctum, quod quinque Libris Decretalium
sextus accesserit, iisque ratione materiae
sit annexus. Compilarunt eum sub an-
num 1297, alii volunt 1274, alii 1300.
apud Gonzalez Guilielmus de Mandago-
to Archi-Episcopus Ebredunensis, Beren-
garius Fredellus vel Stredelius Episcopus
Biterrensis, ac Magister Richardus de
Senis (nonnullis Malambrus) S. R. E. Vi-
ce-Cancellarius *Præfat.* ac postmodum
Cardinalis Diaconus S. Eustachii *Gloss.*

bis

hic mandato Bonifacii VIII, ex Illustrissima Cajetanorum Familia nati, & in Coelestini locum Pontificatum renuntiantis successi ex ejusdem Bonifacii & aliorum Pontificum, qui inter hunc & Gregorium IX. intercesserunt, imo ex quibusdam etiam Gregorii rescriptis, ac præcipuè Decretis Conciliorum Lugdunensium primi & secundi generalis sub Innocentio IV. circa annum 1245. & Gregorio X. A. 1274. celebratorum. Distinctus est sextus Decretalium in quinquelibros, quorum singuli in titulos & capita dividuntur. Adjectæ sunt sub finem Regulæ juris 86. majori ex parte desumptæ ex Regulis Juris Cæsarei. Cum hic liber citatur ponitur initium, vel numerus Capitis & titulus cum addito in 6, hoc modo: *c. 2. vel Licet Ecclesiarum de præbendis in 6.* Eadem est harum Decretalium auctoritas, quæ præcedentium, maximè cum in Concilio Lugdunensi approbatæ sint. Refert tamen Jo. Andreas non obligare in Gallia, quod ibi receptæ non fuerint.

2. Quarta pars comprehendit Constitutiones Clementinas, sic dictas, quod eas Clemens V. colligendas curavit partim ex Canonibus Concilii Viennensis
circa

circa annum 1311. celebrati, partim ex propriis Constitutionibus, quas tamen post mortem ejus Joannes XXII. primum absolvit. Fuit Joannes XXII. antea Jacobus dictus, natione gallus, Cadurci urbe Aquitaniæ à Patre Arnolde Deusa misero veteramentarioque Sutore natus, quem eximia Virtus & doctrina ad supremum dignitatis fastigium evexit, nam primum Arelatensis Episcopus, Caroli secundi Regis Cancellarius efficitur, ubi tantum sui officii famam auxit, ut Archi-Episcopus Avinionensis mox Cardinalis, & Episcopus Portuensis à Clemente V. fuerit creatus, eoque vivis sublato totius Ecclesiæ obtinuit principatum A. 1316. & altero post anno, nimirum 1317. hanc compilationem promulgavit. *Spondanus ad hunc annum.* Dividuntur Clementinæ in quinque libros, sicuti Decretales & iisdem Titulis, sed multo paucioribus, qui etiam in Capitula distinguuntur. Citantur hoc modo: *Clement. Multorum querela, de hæreticis.* Hæc Compilatio cum approbata sit ab ipso Clemente Pontifice & in Concilio Viennensi, obtinet quoque juris auctoritatem.

3. Quinta pars continet duos libros, quo-

quorum primus est Extravagantium Constitutionum Joannis XXII. numero 20, quæ in 14 titulos dividuntur, sicque allegantur: *Extrav. Joan. XXII. Execrabilis de Præb. & dign.* Alter liber est Extravagantium communium variorum SS. Pontificum, qui in quinque libros, atque hi in titulos & Capita distribuuntur; Citantur vero hoc modo: *Extrav. Cum detestabile, de Simonia inter comm.* Dicuntur Extravagantes, quia primò extra corpus juris Canonici quasi incerta sede vagabantur. *c. Pastoralis de fid. instrum.* unde hodie dum sic appellantur, licet in Corpore Juris jam locum occupent, Glossas in primum librum scripsit Zenzlinus de Cassanis; In secundum Joannes Monachus Pichardus, Guilelmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis. Hæ Extravagantes passim pro authenticis habentur, cum sint decisiones SS. Pontificum, quæ à longo jam tempore possessionem in Corpore Juris acceperint, variisque Doctorum notis ac glossis illustratæ sint, quamvis incertum, an alicujus Summi Pontificis auctoritate & jussu in hunc librum relatæ sint & publicatæ. Faciunt proinde fidem in judiciis, etiamsi non producantur

cantur, & sententia contra illas lata, est nulla, utpote contra jus notum. *Rom. Consil. 260. num. 2. Tusch. lit. E. Concl. 679. n. 4.* Sunt enim notoriæ Extravagantes, & post publicationem satis evulgatæ per librorum impressionem, ita ut præsumi de illis ignorantia non possit, cum ergo idem sit esse notorium, & esse in iudicio productum. *Alexand. in l. Cum prolatis n. 19. ff. de re judic.* Sententia contra Extravagantem notoriam lata omnino nulla est iudicanda. *Franc. de Pavinis in præl. ad Extrav. Joannis XXII.*

C A P U T X X V.

De Septimo Decretalium.

Quis librum hunc collegerit. Cujus sit auctoritatis. De alia Compilatione Libri septimi Decretalium cura Gregorii XIII. facta, sed hæcenus suppressa.

I.

U^Ltimis hisce temporibus annexus est Corpori Juris Canonici in recentioribus exemplaribus liber septimus Decretalium collectarum à Petro Matthæo Jurisconsulto Lugdunensi, & ad normam Decretalium in quinque libros suosque titulos digestarum. Hic liber cum pri-

B b

vata